

p. 3, q. 5, memb. 2, a. 4, § 3, et q. 66, memb. 4; Altisiod., 3 p. Sum., tract. 8, c. de Timore fil., q. 3; et sumitur ex August., tract. 85 in Joan., et tract. 9 in 1 Canon. Joan.; et ex Greg., 17 Moral., c. 15, et ex aliis Patribus supra, q. 7, citatis.

21. Præter hos actus potest intelligi alius in voluntate, quo homo vult subesse Deo, et complacet in hoc quod est esse subjectum Deo, et habere ipsum ut supremum dominum. Qui actus, secundum diversa motiva, potest ad diversas virtutes pertinere; nam, si respiciat illam subjectionem in ordine ad reddendum Deo obedientiæ debitum, erit actus obedientiæ; si vero respiciat illam subjectionem ut convenientem suo statui et conditioni, seu humilitati, sic erit actus humilitatis, quæ moderatur affectum excellentiæ, et continet hominem, ut in gradu suo sistat, et excellentiorem et majorem non appetat inordinate. Si vero tendat in illam subjectionem, ut se totum consecret divino obsequio et cultui, sic est actus elicitus a religione; hic est enim proprius actus devotionis, ut D. Thomas docet, 2. 2, q. 82, art. 1 et 2, ubi ait, devotionem esse specialem actum voluntatis, quo homo se Deo devovet, ut ei se totaliter subdat, et tradat ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum, quod ad religionem pertinet. Si vero sistat in pura simplici complacentia servitutis et subjectionis ad Deum, est etiam actus religionis, qui ad devotionem reducit. Cum enim homo vere sit servus Dei, dum hoc secum recogitat et recognoscit, potest in hoc complacere et gaudere. Atque hic actus videtur esse proprius actus patriæ maxime internæ; et posteriori modo conceptus videtur quasi affectus simplex servitutis ad Deum; priori autem modo est voluntas efficax exercendi opera illius servitutis, seu exhibendi sese ut Dei servum; unde ex se, prout directe tendit in tale objectum, non tam est adoratio quam affectus adorationis, vel virtualis, vel formalis, vel in speciali, vel saltem sub generali ratione divini famulatus, qui adorationem etiam comprehendit; si vero consideretur ille actus voluntatis, quatenus ipsemet voluntarie exercetur, et hac ratione in se ipsum reflectitur (sive hæc reflexio per eundem, sive per diversum actum fiat, nil enim nunc refert), sic ille actus, quatenus sic volutus est, potest veram rationem adorationis habere, nam potest quis velle eum actum exercere, ut per illum se submittat, et exhibeat quamdam notam et significationem suæ submis-

sionis ad Deum; atque adeo ut per ipsum actum Deum honoret ac reveretur. Atque hoc modo dixit D. Thomas 2. 2, q. 84, a. 2, spiritualem adorationem consistere in interiori mentis devotione, quia hæc adoratio est maxime interna et spiritualis, et ab illa omnis alia vera adoratio proficiscitur.

22. Ultimo, ex dictis intelligitur quid de opinionibus in principio recitatis sentiendum sit. Prior enim opinio falsa est, et contra communem Theologorum, paucis exceptis, qui obscure satis locuti sunt. Posterior autem sententia potest habere veritatem, si recte explicetur. Modus enim ille explicandi, ex Scoto ibi relatus, ambiguus esse potest, nam, si intelligat interiorem actum patriæ esse actum voluntatis elicitum a religione, et habere pro objecto solum Deum ut summum bonum, non est vera sententia, quia virtus religionis per actum a se elicitum non attingit immediate Deum in se, alioqui esset Theologalis virtus, sed versatur circa cultum Dei, et ita semper respicit ut proximam materiam aliquid creatum, quamvis in ordine ad Deum, ut notavit D. Thomas, 2. 2, q. 84, art. 5. Unde actus ille, quem ponit Scotus, quo homo in corde suo extollit divinam bonitatem ut summam, etc., intelligi potest fieri per iudicium, vel æstimationem intellectus, et sic est elicitus a fide, vel alio habitu intellectus; aut potest intelligi fieri per affectum, seu appreciationem voluntatis, et sic pertinet ad charitatem elicitive, quia nihil aliud est quam velle bonitatem Dei ut summe amabilem propter se, vel ut ultimum finem, et primum principium omnium. Vel potest etiam pertinere ad spem, si bonum illud homo sibi concupiscat præ omnibus bonis, et omnibus his modis non potest ille actus elici a religione, sed ad summum imperari. Quod si talis actus non sumitur, ut attingit immediate et directe excellentem Dei bonitatem, quam homo iudicio vel affectu extollit, sed ut ulterius procedit ad subjectionem hominis respectu Dei, jam ille actus non habet pro objecto solum Deum, ut Scotus dicit, sed aliquid etiam creatum in ordine ad excellentiam Dei. Si vero non intelligat Scotus hunc actum interioris adorationis, quo homo in corde suo extollit Deum, esse elicitum a religione, sed imperatum, sic verum est adorationem internam posse in tali actu consistere, quamvis non in solo illo; quia ille actus, quo homo extollit Deum in suo corde, sive iudicio, sive affectu, potest commodissime exerceri ut nota submissionis

et reverentiæ debitæ Deo, quamvis præter illam possint esse aliæ, ut a nobis explicatum est. Neque est inconveniens ut religio, per actum a se imperatum, immediate attingat Deum, quia inde non fit quod sit virtus Theologica, quia per actum a se elicitum non attingit Deum, sed per actum alium quem imperat, et hic est qui immediate attingit Deum. Sic enim etiam pœnitentia imperare potest actum qui immediate feratur in Deum, scilicet amorem super omnia; et ipsa religio, quæ est in voluntate, imperat orationem seu petitionem intellectus, quæ potest immediate cadere in Deum, non solum quia a Deo petimus; id enim non satis esset; sed etiam quia possumus a Deo petere ipsum Deum, qui est merces nostra magna nimis, quam speramus.

23. Reliqua, quæ in illa opinione dicuntur, nobis non sunt contraria, sed nostram potius sententiam confirmant. Solum adverto, adorationem exterioriorem seu corporalem, semper quidem supponere intentionem vere adorandi, non tamen semper supponere propriam adorationem interiorem, nisi forte materialiter (ut sic dicam), non tamen semper formaliter; supponit enim æstimationem excellentiæ et affectum honorandi alium juxta qualitatem seu dignitatem ejus, alias non erit adoratio, sed fictio, vel potius inhonoratio; et hoc saltem modo adoratio exterior est signum interioris reverentiæ, quia est signum hujus æstimationis et affectus. Non est tamen necesse ut adoratio exterior semper supponat formalem intentionem interiorem adorandi, quia ille affectus potest immediate cadere in actum exterioriorem, et tunc æstimationem excellentiæ, quæ supponitur ad illum affectum, ut sic, non habet rationem adorationis, cum non procedat ex intentione adorandi, sed ad illam potius supponatur. Verumtamen, quia de se apta est, ut ad interius adorandum possit referri et ordinari, ideo quasi in actu exercito seu materialiter dici potest adoratio. Atque hoc modo semper adoratio exterior est signum interioris, vel formalis, si ad illam etiam feratur intentio adorantis, vel saltem materialis, ut declaratum est.

24. Ad fundamenta prioris sententiæ, quod ad D. Thom. attinet, satis ostensum est illum non in solis exterioribus actibus, sed maxime in interioribus, veram adorationem constituere. Neque in illo titulo quæst. 84, 2. 2, oppositum insinuat, cum in art. 2 ejusdem quæstionis veram sententiam doceat. Solum ergo colligitur ex illo titulo, esse aliquam adora-

tionem exterioriorem, quæ per actus corporis exerceatur, de qua specialiter tractare voluit D. Thomas in illa quæstione. Unde, quod statim proponit agere de adoratione, per quam aliquis suum corpus ad Deum venerandum exhibet, non est ita intelligendum ac si per illa verba adorationem adæquate descripserit, sed ita ut illa verba contineant differentiam contrahentem adorationem ad solam corporalem, de qua ibi peculiariter agere volebat. Unde in virtute potius ibi significat quamdam esse adorationem, per quam aliquis exhibet suum spiritum ad honorandum Deum, et aliam, per quam exhibet corpus suum. Falsum autem est D. Thomam nunquam de priori adoratione disseruisse, nam q. 81, art. 8, et q. 82, art. 1 et 2, et q. 84, art. 2, satis illam docuit et declaravit.

25. Ad secundum concedimus, adorationem esse submissionis et honoris notam, negamus tamen esse necessarium ut illa sit nota sensibilis et externa. Neque hoc Damascenus unquam dixit; ostendimus autem etiam posse esse actus interiores et mentales quibus nostri animi submissionem ad Deum significemus.

26. Unde ad tertium negamus assumptum, scilicet, nullum esse interiorem actum qui rationem adorationis induere possit. Et ad inductionem ibi factam satis responsum est, declarando quomodo per actus intellectus et voluntatis, imperatos, vel elicitos a religione, possit interior adoratio exerceri. Unde ad primam confirmationem imprimis posset in rigore negari sequela; quamvis enim dicamus, per aliquos actus internos virtutum posse adorari Deum, non inde consequitur ex vi illationis omnes actus virtutum posse ad Deum adorandum imperari; quidam enim possunt esse magis proportionati et accommodati ad illum finem, quam alii. Sicut licet adoretur Deus per actus externos, non ideo per omnes adorari potest, nam in aliquo est proportio ad eam significationem, et non in alio; ut, verbi gratia, genuflexio est accommodata ad significandam submissionem et humilitatem, deambulatio vero non item. Sic ergo in intellectu fides, verbi gratia, est proportionata ad significandam submissionem animi, et tamen prudentia vel ars non habet illam proportionem; et in voluntate similiter amor ultimi finis, quia respicit illum ut summum bonum et supremum respectu amantis, potest esse accommodata nota submissionis; amor vero proximi, ut illum respicit, non potest esse

nota submissionis, quia tendit in illum ut æqualem.

27. Unde dicitur secundo, omnem actum virtutis tam internum quam externum, in quo fuerit proportio aliqua ad significandam animi submissionem, posse esse objectum et materiam circa quam proxime versetur interior affectus adorationis, sive in tali actu sit alia honestas ad aliam virtutem spectans, sive non; quia, ut probavimus, concomitantia (ut sic dicam) alterius honestatis non potest impedire quominus actus sumatur ut nota honoris, si aliunde proportionem habeat. Quod in actibus etiam exterioribus cernere licet; nam, verbi gratia, proprii corporis castigatio ex se habet honestatem poenitentiae, et nihilominus rationem adorationis induere potest, si efficiatur ad subjiendum Deo corpus proprium in ejus venerationem; et e contrario genuflexio, quæ est nota adorationis, potest esse actus poenitentiae propter poenitentiam, quam habet adjunctam. Et similiter insio pectoris, quam omnes ponunt ut notam adorationis, esse etiam potest poenitentiae signum, vel etiam humilitatis, si eo animo fiat. Quod ergo in exterioribus actibus experimur, potest facile in actu interiori intelligi, nam idem actus, qui ex se seu ex objecto suo est actus fidei, verbi gratia, potest habere proportionem, ut exhibeatur tanquam nota submissionis, servitutis, vel humilitatis.

28. Unde hinc potius sumi potest confirmatio doctrinæ traditæ, quia non repugnat actum unius virtutis habere proportionem vel utilitatem, ut possit alteri virtuti deservire, et ea ratione ab ipsa imperari, et esse materiam, circa quam ipsa versetur; sed non repugnat dari actum interiorem proportionatum, ut sit nota humilitatis respectu Dei; quis enim neget posse humilitatem interius exerceri, non solum quantum ad affectum, sed etiam quantum ad usum, et actuale exercitium humilitatis? ergo neque repugnat dari actum interiorem habentem sufficientem proportionem, ut sit nota adorationis. Omne enim signum humilitatis respectu Dei potest etiam esse signum adorationis, si ex proprio et accommodato motivo exhibeatur, juxta dicta sectione præcedente.

29. Quæret autem aliquis an in omnibus virtutum actibus, tam internis quam externis, reperiatur hæc aptitudo seu proportio, ut possint assumi tanquam notæ divinæ adorationis. Quidam enim simpliciter affirmant. Imo videtur esse sententia D. Thomæ, in 3, dist. 9, q.

1, art. 1, quæstione. 2, ubi ait, quod licet latria in se sit specialis virtus, quia habet specialem rationem objecti et actus, scilicet, ut exhibeatur aliquid Deo in recognitionem servitutis, potest tamen dici generalis, quantum ad hoc quod utitur actibus aliarum virtutum materialiter sub prædicta ratione proprii objecti. Ubi, cum indifferenter hoc tribuat aliis virtutibus, videtur sentire hoc esse commune omnibus. Quod amplius videtur colligi ex solutione ad tertium, ubi ait actus aliarum virtutum, secundum quod in gloriam Dei fiunt, sic materialiter assumi a latria. Et eandem fere doctrinam habet 2. 2, quæst. 108, art. 4, ad primum et secundum, et in art. 1, ad primum, ita explicat illud Jacobi 1: *Religio munda et immaculata, visitare pupillos, etc.* Ex quibus verbis colligi etiam potest ratio hujus sententiæ, nam omnis actus virtutis, hoc ipso quod honestus est, potest cedere in Dei honorem ac gloriam; sed religio respicit Deum ut supreme honorabilem; ergo potest sub hac ratione versari circa quemlibet actum virtutis, imperando illum.

30. Est ergo hæc sententia satis probabilis. Erit autem verisimilior, si in hunc modum explicetur. Aliud est enim loqui de cultu Dei in communi, aliud de proprio cultu adorationis. Cultus enim Dei priori modo sumptus comprehendit omnem actum honorandi Deum, sive in voto, sive in juramento, sive in oratione, etc.; adoratio vero Dei specialiter dicit cultum servitutis seu submissionis debitæ ac proportionatæ divinæ excellentiæ. Loquendo igitur de cultu priori modo, est verum posse religionem referre in Dei honorem et gloriam quemlibet actum virtutis, juxta illud Pauli, 1 Corinth. 10: *Omnia in gloriam Dei facite.* In qua relatione non considerantur virtutum opera solum ut Deo placent; sic enim illa relatio potius pertinebit ad charitatem vel obedientiam; sed considerantur ut in honorem Dei cedunt, et sic ea referre ad religionem spectat. Neque ad hoc oportet spectare aliam proportionem præter honestatem, secundum quam sunt speciali modo participationes divinæ voluntatis, ejusque bonitatis, quam prædicant et declarant proprio quodam et singulari modo, et ideo sunt in illum specialiter referibilia, et ab Augustino interdum vocantur sacrificia, lib. 10 de Civitat., cap. 6. Et confirmatur, nam propter hanc causam quilibet actus virtutis, qui meliorem non impediatur, potest per votum Deo offerri, cum tamen votum sit actus religionis.

Neque enim satis est si quis respondeat, per votum fieri actum materiam religionis, quia fit debitum Deo, et ad religionem pertinet persolvere Deo debita; nam in voto non solum ad religionem spectat implere actum jam promissum, sed etiam ipsum promittere est actus religionis; ante promissionem autem non erat opus debitum; ergo ante tale debitum est in ipso opere aliqua proportio, ut possit esse materia actus religionis; ergo, sicut est talis materia respectu actus promissionis, ita esse potest respectu imperii seu voluntariæ relationis in honorem et cultum Dei, et hæc sine dubio est sententia D. Thomæ, citatis locis, et in hac etiam generali significatione solet interdum sumi adorationis nomen.

31. At vero, si loquamur strictius de adoratione pro significatione servitutis ad Deum, sic non videtur quilibet actus virtutis ita aptus seu proportionatus ad adorandum Deum, quod non solum est verum de actibus internis, sed etiam de externis; quia hujusmodi adoratio, ut diximus, fit per actum externum seu imperatum, tanquam per signum ad placitum; de cujus ratione est, ut proportionem habeat cum significatione ad quam imponitur; hæc autem proportio ad hanc subjectionem et submissionem significandam non reperitur in quolibet actu exteriori, etiamsi aliam honestas sit, ut per se notum videtur in solutione debiti, in actu extrapeliæ, et similibus. Atque hinc fit ut interdum actus, qui per se non spectat ad aliam virtutem, aptior sit ad Deum adorandum, quam actus alterius virtutis; ut prosternere se, deosculari terram, aptior est ad Deum adorandum, quam temperate comedere, et sic de aliis. Imo addit D. Thomas, in tertio, ubi supra, hos actus, qui non sunt proprie alicujus virtutis elicitive, esse maxime proprios actus latriæ, et in 2. 2, quæstione 81, articulo primo, ad primum, hos vocat actus elicitos, *sicut sunt* (inquit) *sacrificare, adorare, etc.*; quod intelligendum est moraliter et respectu habitus virtutis, nam physice, et respectu potentiarum, etiam isti actus sunt imperati a voluntate; non enim elicit voluntas genuflexionem, sed imperat seu movet proximam facultatem. Unde nec religio, quæ est dispositio voluntatis, potest illum actum physice elicere, sed imperare. Proxime ergo elicit affectum adorationis, et mediante illo, imperat actum alterius potentiae, per quam fit adoratio. Quod si interdum adoratio fiat per alium actum ipsius voluntatis, sub ea

ratione imperatus est, licet alioqui sit elicitus a voluntate. Quando vero talis actus, etiam si sit alterius potentiae, ex se non pertinet ad aliam virtutem, dicitur elicitus a religione, quia immediate oritur ex affectu ejus, nulla alia virtute interveniente. Quomodo etiam oratio, quæ est in intellectu, dici solet elicita a religione. Et eodem modo dicit D. Thomas citato loco, sacrificium esse actum elicitem a religione, et idem dicit de adoratione. Ubi videtur adorationis nomen adhuc strictius sumpsisse, non solum pro illo actu reverentiæ, qui ex se non habet aliam honestatem priorem honestate cultus religionis et adorationis; nam hoc modo etiam sacrificium est quædam adoratio, et in Scriptura ita sæpe appellatur, ut alibi latius tradit; sed sumit pro adoratione illa, quæ tantum fit aliqua actione hominis, quæ nec circa materiam exteriorem versatur, sed circa ipsamet hominis membra vel potentias, nec ex se habet aliam priorem honestatem. Actus enim, qui habet aliam propriam speciem virtutis, quamvis per extrinsecam relationem, et imperium, ad munus adorationis assumatur, non amittit propriam speciem virtutis, a qua simpliciter denominatur, licet, ut subest imperio religionis, vera sit adoratio.

32. Ad secundam confirmationem, quæ sumebatur ex vitio contrario adorationi, absolute loquendo falsum est quod in illa assumitur, in solo actu interiori non posse consummari malitiam adorationi Deo debitæ contrariam; nam, sicut non repugnat interiori actui fidei conjungi honestatem adorationis, ita non repugnat interiori actui infidelitatis vel hæresis conjungi malitiam sacrilegii, et sic de aliis, si eadem proportio observetur, nimirum, quod ille actus ex tali intentione vel imperio fiat, quod ad malitiam illam communicandam sufficiat. Actus enim hæresis, verbi gratia, vel odii Dei, ex se habet propriam malitiam inseparabilem, quacunque intentione vel animo fiat; potest vero superbiæ, iræ, aut alterius similis vitii malitiam participare, si ex ejus imperio et relatione fiat. Sic ergo in actu hæresis potest reperiri malitia contraria honestæ adorationi, si quis talem actum exercent intentione aut colendi Deum, aut intentione tribuendi alteri quam Deo honorem soli Deo debitum; ut si quis existimet ad excellentiam Dei pertinere ut una tantum in eo sit persona, et eam fidem exercent, et secum recogitet, animo exaltandi intra se divinam excellentiam, erit non solum hæreticus,

sed etiam sacrilegus. Rursus, si quis credat esse alium omnipotentem præter unum Deum, seu primum auctorem alicujus beneficii, et ea ratione illi interius gratias agat, vel supplex deprecetur ut omnipotentem vel supremum auctorem, peccabit interius, non solum contra fidem, sed etiam contra honorem Deo debitum, quod peccatum, licet ab infidelitate ducat originem, diversum tamen ab illa est. Idem reperiri potest in odio Dei; nam, si quis illud exerceat animo inferendi Deo injuriam, seu privandi illum honore ei debito, in illo actu præter malitiam odii est malitia sacrilegii interius consummati, et sic possunt in aliis exempla adhiberi; et interdum etiam potest intelligi hæc malitia quasi per defectum; ut si quis nolit firmum et certum assensum rebus fidei adhibere, sed solum formidolosum ac dubium, et illum actum velit exhibere ut sufficientem notam honoris Deo debiti, erit non solum hæreticus, sed etiam sacrilegus, quia Deum facit creaturis æqualem. Ex quibus et similibus exemplis potest argumentum factum in contrarium retorqueri; nam si injuria et inhonoratio divina potest interius consummari, cur non etiam poterit adoratio? Dixi autem necessarium esse, ad consummandam interius hanc malitiam, ut intentio cultus intercedat, quia media tali intentione communicanda est malitia, eo quod opposita bonitas non sit intrinseca actui, sed ex imperio et relatione extrinseca proveniens; tunc enim malitia opposita, cum non in sola omissione, sed in commissione consistat, non potest, nisi per contrarium imperium, seu intentionem, communicari, quod non solum actibus internis, sed etiam externis commune est. Si enim exercere actum externum humilitatis, per se non habet honestatem religionis, potest tamen illam habere, si ex peculiari intentione et imperio fiat. Unde e contrario exercere externum actum superbiam in propriam exaltationem, per se non habet malitiam sacrilegii adorationi Dei contrariam; si tamen fieret intentione usurpandi sibi divinum honorem, haberet illam; et ratio generalis est, quia contraria bonitas non est debita illi actui secundum se, sed tantum ut tali imperio vel intentioni subest.

### SECTIO III.

*Quotuplex sit adoratio.*

1. Præter communem et generalem rationem adorationis a nobis explicatam, oportet

ut ea, quæ de Deo et hominibus dicenda sunt, intelligi possint, nonnullas adorationis partitiones præmittere, et tam singularum vocum communiorem usum et significationem, quam proprias singularum rerum rationes diligenter exponere. Et imprimis omitto divisionem adorationis in fictam et veram, quia hæc omnia jam a nobis explicata sunt, et nunc de vera adoratione agimus, ficta enim neque adorationis nomen meretur. Omitto etiam divisionem in honestam et superstitiosam adorationem, quia de honesta tractamus, qua explicata, constabit quænam superstitiosa sit, et præter objecti dignitatem.

2. *Adorationis divisio in internam et externam.* — Primo ergo dividi solet adoratio in internam et externam. In qua divisione distingui potest actus voluntatis volentis cultum, ab ipso cultu, qui per illum exhibetur, ita ut ille dicatur interior adoratio, hic exterior; in quo sensu adoratio exterior dicitur, non solum quæ fit per membra corporis, et sensibus objici potest, sed etiam quilibet actus interior, etiam si sit intellectus, vel ipsius voluntatis, quatenus sub prædictum actum voluntatis cadit, et ab illo imperatur; cultus enim et adoratio non solum externis, sed etiam internis actibus exhiberi potest, ut statim dicam. Unde non est hic proprius et usitatus sensus hujus divisionis, quia non voluntas colendi, sed ipse cultus adoratio vocatur. Et hæc distinguitur in internam et externam. Externus cultus dicitur, qui per signa externa, et sensibilia fit, cujus varias partes numerat Aristot., 1 Rhetoric., cap. 5: *Honoris, inquit, partes sunt, sacra, memorationes, decantationes carminum, aut soluta orationis ad laudem recitatio, præmia, delubra, vel primi consessus, sepulchra, imagines, publici ritus, adhæc etiam barbara, ut inclinari, loco cedere, munera quoque, etc.*, quæ omnia solum materialiter differre possunt, si ejusdem excellentiæ testimonia existant, et ad eam significandam referantur. Interioris autem cultus Aristoteles non meminit, quia de cultu et honore qui inter homines exhibetur, sermonem facit; non enim possunt homines se mutuo colere nisi externo cultu, quia non intuentur cor, nec cognoscunt internos actus, nisi per exteriora signa; unde cum adoratio sit quædam testificatio et recognitio excellentiæ alteri manifestata, non potest ab homine exhiberi homini, nisi per exteriores actus. Interior igitur cultus dicitur, qui per interiores actus mentis, scilicet intellectus et volun-

tatis, exhibetur, qui maxime ad Deum refertur, qui summus spiritus est, et interiores actus mentis videt; extendi autem etiam potest ad creatos spiritus beatos, quatenus interiores actus ad illos relatos cognoscere possunt, ut infra declarabitur. Et hoc modo dixit August., in Ench., cap. 3 et 6, et lib. 12 de Trinit., cap. 14, *christianam religionem maxime colere Deum fide, spe et charitate*; quod dupliciter potest intelligi, primo, quia ex fide, spe et charitate movetur homo ad colendum Deum vero religionis cultu, ut D. Thom. exposuit, 2. 2, quæst. 81, art. 5, ad 1; vel e contrario, quia ipsa virtus religionis ordinat et refert actus illarum virtutum, ut per illos Deum colat, ut idem D. Thom. exposuit, in 3, dist. 9, q. 1, art. 1, quæstiunc. 3, ad 4. Quamquam enim religio sit specialis virtus, quia speciale habet objectum (ut supra explicatum est), utitur tamen actibus aliarum virtutum, ut per illos cultum Deo exhibeat, et hoc modo potest etiam uti actibus fidei, spei et charitatis, quia, licet perfectiores sint, hoc tamen non obstat quominus possint ad finem religionis ordinari. Hi ergo actus proprie pertinent ad cultum internum, et ad eundem etiam spectare potest interior reverentia, seu timor (ut supra dicebam), detestatio peccati, mentalis oratio, et similes actus, si ex voluntate colendi Deum proficiscantur. Legatur de hac distinctione D. Thom. 2. 2, quæst. 84, art. 2, et quæst. 103, art. 1.

3. Quæri autem hic solet quænam istarum adorationum sit propria adoratio, an interior, vel exterior? In quo breviter dicendum est, si comparemus adorationes, tam internam quam externam, posteriori modo sumptas, ad ipsam voluntatem adorandi, neutram earum habere veram rationem adorationis, nisi prout subest tali voluntati procedenti ex tali iudicio, et existimatione rei, qualis per adorationem indicatur. Quia si omnino deesset voluntas, non solum non haberet rationem adorationis, sed neque actionis humanæ; si autem deesset veritas, seu conformitas eum existimatione rei, non esset vera adoratio, sed fictio adorationis, et irrisio, ut dictum est; unde, ut sit adoratio honesta, de qua nunc agimus, oportet ut ex voluntate honesta procedat. At vero, e contrario, sola voluntas adorandi, si in nullum actum adorationis prodeat, potest dici interna adoratio, vel magis proprie adorationis propositum, sicut sola voluntas occidendi potest dici homicidium internum, non tamen simpliciter homicidium,

quia hæc vox externum actum humanum significat. Comparando autem adorationes, internam et externam, posteriori modo explicatas, inter se, quatenus unaquæque earum conjuncta est cum suo actu voluntatis, sic utraque est adoratio, et perfecta in sua specie, licet una possit esse alia perfectior, sicut oratio vocalis et mentalis in ratione orationis comparari possunt.

4. *Divisio adorationis in latrariam, duliam et hyperduliam.* — Secundo, dividi solet adoratio ex parte objecti, et excellentiæ rei adoratae, in latrariam, et duliam, et hyperduliam. In qua divisione, primum explicanda est nominum ratio et impositio; *λατρεύω* enim græce idem est quod latine, *revereor*, aut *colo*; *δουλέω* vero, idem est quod *servio*; unde hæc duo verba apud Græcos frequenter pro eodem accipiuntur, ut tam Deo quam creaturis communia sint. Quo fit ut, tam in græca quam in latina lingua (et idem est de hebræa), nulum sit nomen quod ex propria et primæva significatione sua, singularem Dei cultum aut honorem creaturis debitum specialiter significet; nisi fortasse componendo vocem ex ipso nomine Dei, ut est in græco vox *θεοσέβεια*, cui nulla est similis latina. Nomina enim *adorationis, cultus, servitutis*, et similia, eis communia sunt, quamvis interdum, quasi per antonomasiam ad significandum singularem Dei cultum usurpentur, ut in sequentibus frequenter videbimus, explicando varias locutiones Patrum, quæ ex hac nominum ambiguitate ortæ sunt. Quod certe est valde considerandum, et memoriæ mandandum. Ad hanc ergo ambiguitatem tollendam, schola Theologorum communia nomina ad significandas adorationis species accommodavit, et *latrariam* appellavit singularem et excellentem adorationem, quæ Deo propter summam ejus excellentiam debetur. Cujus accommodationis fortasse ratio fuit, quia (ut Phavorinus dicit in Lexico) ipsa vox græca vehementiam quamdam timoris significat, aut certe, quia apud Sanctos Patres fere semper hac voce, adoratio Deo propria significata est, ut patet ex VII Synod. fere tota; et August., lib. 10 de Civit., cap. 1, et lib. 1 de Trinit., cap. 6, et lib. 20 contra Faust., cap. 21, et q. 61 in Gen., ubi advertit, propterea falsorum deorum cultum *idololatrariam* fuisse appellatam, quia *latraria* proprium cultum vero Deo debitum significat; et eodem modo utitur hac voce Damasc., orat. de Imagin; Tharas., in dicta epist. ad Constant. et Irenem, qui notat in